

Universitätsbibliothek Wuppertal

Q. Horatius Flaccus

Horatius Flaccus, Quintus

Amstelaedami, 1728

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-830](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-830)

LECTORI

S. P. D.

ISAACUS VERBURGIUS.

QUAM necessarium adjumentum iis, qui capiuntur lectione Veterum, sint Indices, quibus tanquam a fidis ducibus ad locum aliquem ducimur, notius est, quam ut necesse sit hoc loco illud monere. Testes sunt omnes, quibus literæ cordi sunt, quique non sine suo malo nequicquam totas horas aliquando insumserunt in requirendo locum, quem legisse se meminerant, nec tamen poterant reminisci quæ libri parte. Huic malo jam ante duo ferè secula quisque pro suâ virili cœperunt mederi, qui, dum auctoris alicujus dulcedine capti singula in proprium usum seligunt, nobis tot egregios indices, quibus non sine uberrimo fructu utimur, confecerunt. Non potuerunt Horatii amatores diu esse destituti tam necessario adjumento, quippe cujus lectio immensa utilitate compenset laborem in legendo collocatum, cujusque scripta decies ad unguem castigata ultro alliciant lectorem ad optima quæque excerpta. Eâ certè ratione *Thomas Treterus* natus Posnaniæ (Poloniæ majoris ea est urbs) collegit primus Indicem in Horatium adjutus a *Stanislao Drozinio*, quum uterque Romæ in ædibus *Stanislai Hosii* R. E. Cardinalis versabantur anno 1573. nullam enim aliam fuisse causam, nisi ut scriptorem, quo plurimum delectabatur, redderet sibi familiarem, testatur ipse Treterus; hujus materiam postea polivit *Daniel Aveman* Brunopolitanus. Quum enim Treterus, ut qui scripserat sibi, non aliis usus esset numeris, quam paginarum sui exemplaris, aggressus est *Aveman* maximi laboris, sed majoris tædii opus revolvendo omnes voces, quas Treterus in Indicem retulerat, & numeros paginarum mutando in numeros librorum, minorum opusculorum, ex quibus libri constant, atque adeo ipsorum versuum; idque tam accuratè præstitit, ut sæpe hominis diligentiam fuerim admiratus, & verissimum esse compererim, quod ipse affirmat, numeros vocum indices nunquam fallere, si exceperis Odam XI. & XIII. in libro Epodôn, quæ eundem versuum numerum in omnibus editionibus non habent pro diversa ratione dimensionis earum Odarum. Egregiam plane operam a Clarissimo Viro **RICHARDO BENTLEJO** in illustrando Horatio positam, quum Fratres *Wetsteinii* denuo

typis describerent, visum fuit etiam fore e Re literaria, si Avemanni Index præstantissimus editioni præstantissimæ, tanquam corollarium ultra pactum additum, subjiceretur, additis etiam Illustris Viri Lectionibus variis, ut & præclara Viri merita eo magis elucescerent, & Tu non possis queri aliam in Indice, aliam in ipso Horatio Lectionem exhiberi. Hujus rei curam eo suscepi lubentius, quo mihi semper ante omnia dulcius fuit occasionem mihi dari navandi non inutilem literatis operam. Postquam autem manus operi admoveram, videbar mihi non male meriturus de ipso Horatio, si, præter Lectiones Viri Reverendi, etiam adderem ea, quæ ad dictionem Horatianam propius noscendam egregiè videbantur facere, multa enim, ex Græco præsertim fonte hausta, non legebantur in Indice, quorum tamen splendor & majestatem addit huic Auctori & dignitatem, quæque adeo ut noscerentur omnium intererat, qui ab arte & elegantia instructiores volebant redire ab Horatii lectione.

Relecto igitur cum curâ Horatio, atque sepositis iis, quæ usui fore sperabam, videbam adeo crevisse observationes meas, ut penè abjecerim consilium addendi quidquam, ne scilicet Index nimium auctus mole sua laboraret, sed vicit tamen utilitas publica, quæ certè major videbatur fore in iis, quæ addere constitueram, quam in enumeratione vocum nullius in Indice usus, nisi si adhibeantur cum elegantia singulari, quales sunt *ac, et, si, que & ne* encliticæ, & quæ aliæ ejusdem sunt generis, quarum maximam partem rescui; partem, ut earum usus pateret, retinui; partem, quæ non vulgarem usum præ se ferebat, retentis subjeci. Quæ necessaria scitu sunt de dimensione unius atque alterius Odae ex mente Bentleji, ipse suo loco monuit, ut hoc loco repetere nihil atineat. Quod si forte, ut homines non semper eadem mentis acie omnia dignoscimus, alicubi erravero, Tuum est ignoscere homini huic de Literis bene mereri cupienti. Vale.